



admitte querimoniam meam, et ex tua promissione
 rerum caelestium instrue, os loquens in his,
 contradicere, aut resistere neque
 tur in conspectum tuum suppli-
 aures tuas perueniat. libera
 om recepisti, ab omni periculo
 is, saluum serua, & incolumem.

III. IIII.

Manebunt labia mea
 inueneris me iustificatione
 pronuntiabit lingua mea
 pium: quia

animi promissio, ut do
 me Domine, & verbi
 in explic
 abra qu
 : non erit certe vllum t
 is benefi- is Dei contice
 m, nisi d. dicent. iusticias Dei, & didicent ab ipso
 osuo. Am

V. VI.

iat manus tua vt saluet me: quo-
 mandata tua elegi.

ncupidi salutare tuum Domi-

Quare Deus inuocandus. Vt animo, & cogitatione do-
 strinam caelestem comprehendere, & pure, ac sincere alijs ex-
 plicare possim, sublata voce clamorem ad te edo. Quare tuere me
 & defende: vt de tuorum decretorum, praescriptionibus vitam,
 & mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate &
 mani: quia in verba tua superpera
 Præueniunt oculi mei ad re-
 culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quæ est fides, à circumstantia
 ris. Antelucanis horis euigilians, ortum solis quietat
 præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo verbi-
 tens. Nondum cum vaga celo sidera fulgens aurora fu-
 stulum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis in-
 ad cure me commissos sermones habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
 fericordiam tuam Domine: & secun-
 dum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandam, non videlicet vilius vi-
 meriti, quod ab opibus nostræ nature proficisci potest.
 tum misericordiae, & clem-
 ta peccata, inquit Ambrosius
 implorantis tuam
 tam mihi hanc quam mihi
 ex hominibus

es me n

uor uo moysen xlii

uor uo moysen xlii



DISPUTATIO II.
DE CŒNADO-
MINI,

IN QVA
τὸ πρῶτον verborum Christi in præcedente asser-
tum collatione quatuor testium confirmatur, nempe Mat-
thæi, Marci, Lucæ & Pauli, Euangelistarum
& Apostolorum.

*Habebitur autem volente Christo in Academia
Julia 16. Nouemb.*

Præside

DANIELE HOFMANNO THEOLOGIAE DO-
ctore & Professore, Respondente autem M. HENRICO
PAPAEBERGERO Græcæ linguæ
Professore.



HELMSTADII,
Excudebat Iacobus Lucius. Anno 1587.

DE GENA DO

MINI

IN OVA

IN VESTIBULO CHRISTI IN PRECEDENTE ANNO

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII

HABITU ANTIQVARIUM CHRISTI IN ACADEMIA

IN OVA

DANIEL HÖRMANN THEOLOGIE DOCTOR

PROFESSOR RECTORIUM M. HENRICO

PAPAE BRONCO CETERI LINGVA



HELMSTADII

Excudit Jacobus Luchter, Anno 1857.

DISPVATIO II.
DE COENA DOMINI.

I.

Recte Augustinus docuit lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 15. Aliud est Sacramentum, aliud operatio spiritus. Et lib. 5. cap. 1. iubet distinguere Sacramentum ab effectu seu usu Sacramenti.

II.

Sic Dominus Lutherus & nostræ Ecclesiæ discernunt inter substantiam Sacramenti, & huius fructum.

III.

Quod autem ad substantiam Sacramenti coenæ Domini attinet, cum Formula Concordiæ VVitebergensi Anni 36. profiteamur iuxta verba Irenæi: Eucharistiam constare duabus rebus.

IIII.

Quod si vnum ex duabus rebus constat, res illas vniri oportuit

V.

De istis rebus Sacramentaliter vnitis ad præscriptum Christi sic loquimur. Panis sacrae Coenæ est corpus Christi. Et vinum sacrae Coenæ est sanguis Christi.

VI.

Quæstio verò hic oritur, num verum corpus, & verus sanguis Christi verè vniantur cum pane & vino sacrae coenæ.

VII.

Nos id affirmamus: Cingliani verò & Calviniani negant.

VIII.

Etsi enim nonnunquam verbis idem dicunt quod nos, explicationibus tamen suis omnibus à nobis dissentiant.

IX.

Fucum istum abstergemus spongia D. Philippi Melanthonis:

thonis: Ipsi (inquit de Cinglianis in responsione ad articulos Buceri Anno xxx. in Comitijs Augustanis scripta) simpliciter sic sentiunt, quod Corpus Christi sit in Coelo, & non sit vel cum pane, vel in pane realiter. Et tamen dicunt corpus Christi verè adesse, sed contemplatione fidei, hoc est, imaginatione. Hæc simpliciter est sententia istorum. Fucum faciunt homines per hoc, quod dicunt verè adesse, & tamen postea addunt, contemplatione fidei, id est, imaginatione: hic iterum negant præsentiam realem. Nos docemus, quod corpus Christi verè & realiter adsit cum pane vel in pane. Et paulò post: Nobis dicendū est veram & realem esse præsentiam, & non disputandum vtrum sit localis vel qualis sit. Hæc D. Melanthon. X

Quis verò in hac controuersia alius sedebit iudex, quam sermo Christi instituentis Eucharistiam?

XI.

Non enim cum illis facimus, qui à speciali verbo discedunt, & generale quærunt, cumq; non inueniant, vel fingunt aliquod, vel aliena contorquent.

XII.

Horum è numero sunt, qui genus Sacramentorum prius constituendum, indeq; ad institutionis interpretationem progrediendum esse censent, docent & contendunt.

XIII.

Nos quidem non improbamus, si quis ex consideratione specierum generalem quandam naturam Sacramentorum demonstret, sed genus quoddam præsupponendum & ad illud specialis institutionis sensum conformandum esse, id methodo fit ineptissima, præsertim in mysterijs.

XIIII.

Manifestum enim est, quod hac methodo arcana (taliam enim sunt sacra *μυστήρια*) reuocentur ad examen notiorum.

rum, certa ex incertis iudicentur, & quidem extra sedem doctrinae, singulare mysterium proponentis, quæratur generale, quod sit singularitatis mysterij ratio.

XV.X

Hic modus docendi nulli profectò Philosopho probabitur.

Urgenti verò & tenenti illum incumbit ut hæc probet, i. ubi Deus in suo verbo perspicuam regulam tradiderit, secundum quam conficere velit omnia ista sacramenta & mysteria?

XVII.

Deinde demonstret oportet, ubi in verbo Dei perspicue doceatur modus, qui non solum explicet arcanum, & mysterium planum atq; perspicuum faciat, sed etiam singularum specierum modus esse debeat specificus?

XVIII.

Antequam illa demonstrata fuerint, nec Deum nec nos teneri putamus, ut illum ad unum modum omnia conficere sacramenta oporteat, & nos necesse sit secundum istum unum & quidem intelligentiæ humanæ planum modum mysteria ad perspicuitatem reducere, hoc est, ex mysterijs non mysteria facere.

XIX.

Quapropter præteritis nunc quidem generalioribus & incertioribus, ab ipsa institutionis Formula sic auspicamur, ut in ea totam inquisitionem religiose contineamus.

XX.

Apud illos sane, qui prophanis sunt assueti commentationibus suis, quiq; hic sese à verbis Christi aliò impelli patiuntur, aut nihil aut parum proficimus, dum institutionis textum vnicè obijcimus, falsum tamen est, quod exprobratur: Nos ita principium petere.

A. 3

Deus

XXI. Deus, aiunt, mentiri non potest, hoc est à seipso dissidere. Quamobrem non potest velle, quod vos creditis.

XXII.

Nos vicissim dicimus: Cum certum sit, Deum non posse mentiri, hoc est, à seipso dissidere, nobis persistendum est in ipsius dictis, & sic etiam in hisce: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Et Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur.

XXIII.

Tuemur quoq; nos exemplo Christi, qui aduersus omnē hæsitationem vnius institutionis suæ repetitionem ad respondendum duxit præualidam.

XXIII.

Nullus enim testium, quibus tamen diuersis temporibus Christus vsus est, etiam tum, cum de institutione Christi cōtrouersia ageretur, ab ea aliò deflexit, sed omnes mirando consensu eadem scribunt de iisdem.

XXV.

Et quod Calviniani ἀπίτω putant, nobisq; vitio vertunt, id Paulus ad Phil: 3. gloriatur parere τὸ ἀσφαλές.

XXVI.

De sensu, aiunt, non de verbis est controuersia. Quoties ergo hic prætenditis verba, quæ aliter atq; aliter intelligi possunt, illud ipsum certè, de quo disputatur, ut probatum assumitis, quod est, τὸ ἐν δεξιῇ αὐτοῦ.

XXVII.

Equidem agnoscerem fallaciam, si hoc prius probatum esset, Christum reliquisse in dubio, quo sensu verba sua accipi vellet.

XXVIII.

Ipsè verò addit perspicuam declarationem, vt etiam Bezadum in epistola 5. testatur.

Dum

807.
XXIX.

Dum igitur nobis obijcitur fallacia petiti principij
textitur fallacia diuisionis compositorum.

XXX.

Non quidem omnia explicauit Christus, cum modum re-
ticuerit.

XXXI.

Omniū tamen perniciosissima est deceptio & quem-
admodum Iustinus loquitur: σαφῆς ἔλεγχος τῆς ἀπιστίας τὸ
ὡς εἰ θεὸς λέγειν. seu principia Theologica quaestione, Quo-
modo in disceptationem vocare.

XXXII.

Quid verò iustius hac sententia nostra? Verba institutio-
nis, de quibus ambigitur, nullibi extra has tabulas explican-
tur: Nequaquam igitur inquirendo ἀξιολογῶν extra eas eua-
gari licet.

XXXIII.

Rursus cum verba controuersa in propria sede non ca-
reant interpretatione, jure illa cum sua ordinaria glossa to-
ties obijcimus, quoties dubitatio insurgit, nec contra ex-
plicationem istam rationes dubitandi impertinentes relin-
quimus.

XXXIIII.

Explicatio Christi τὸ εἶπεν verborum in his propositioni-
bus retinendum esse euincit: Hoc est corpus meum, Hic est
sanguis meus.

XXXV.

Rationes autem contrā adductæ missa explicatione tan-
ti autoris, ex modo promuntur.

XXXVI.

Quis vero has dubitandi causas impertinentes diffitebi-
tur, cum alia sit quaestio: εἰ εἶπεν, & num verba proprias
signi-

significationes suas seruent nec ne? & alia rursus: Quomodo id quod Christus dixit, & ἔστιν ἑνὸν accipiendum docuit, verum esse queat?

XXXVII.

Ad priorem quaestionem rectè postulata fuit explicatio, quia Christus eam sponte subiecit.

XXXVIII.

Ad posteriorem præceptore tacente piè conticescimus discipuli.

XXXIX.

Nec derogat ignorantia vnius scientiæ alterius, nisi ab vno ad omne necessaria fuerit consequentia.

XL.

Sed de possibilitate Christi alia disputatione agemus, nunc, ne per plures interrogationes decipiamur, ἔστιν ἑνὸν assertum denuo examinabimus, secundum plurium sacrorum testium indicationem.

XLI.

Ac ne iudicium cuiusq; turbetur, ad hunc scopum intentio nostra collineet: Num vllius testis oratio & explicatio prædicata in controuersis enuntiationibus à propria significatione deturbet.

XLII.

In his enim τὰς ἑνὸν demonstrato, cum subiecta etiam propriè accipiantur, vnà confitentib⁹ id Calvinianis ad vnū adq; alterum omnibus, impossibile est tropo, hoc est affectioni vocis sedem relinquere in propositis prædicationibus, id quod alibi euicit veritas.

XLIII.

Beza etiam in verbo EST dephenditur cedere nobis ἑνὸν: cum ab eo ad attributionem confugiat, quæ per se ἔστιν prædicationis non verò vocis significat, itaq; tropum, id est, affectionem vocis non præbet, nisi diuersas ἑσὺς vel confundas vel coniungas.

Confun-

XLIII.

Confundit autem istas Beza, quia data duntaxat vna, attributionis nimirum, quæ immutata proprietate vocum persæpè variat, negat *ῥὸ ἑνὸν*.

XLV.

Quandoquidem enim Beza negat à sola per se copula tropum constitui (in conspicio pag. 26) manifestum est, quod in verbo EST per se accepto æquè non ausit ponere tropum, atq; in extremis.

XLVI.

Quæ igitur dabitur tropica locutio, quæ scilicet à mutata significatione vocis exoritur, cum nullum vocabulum tropicum sit? & quomodo tropica erit prædicatio, si non ex tropo, hoc est ex affectione vocis talis reddatur? Quæ ante demonstratis adijcere voluimus.

XLVII.

Cumq; sententia explicatione Sacramentariornm eodè recidat, siue in copula vel attributione, vel prædicato tropus detur, (conspicio pag. 25) Certum est, prædicati à tropo liberatione totam controuersiam confici. Quapropter huc tendet comparatio, quam instituimus.

XLVIII.

Matthæus cap. 26. de pane benedicto, & ad manducandum porrecto sic loquitur. Vescentibus autem eis, accepit Iesus panem, & postquam gratias egisset, fregit deditq; discipulis & dixit: Accipite, Comedite: *τὸ ἐστὶν τὸ σῶμα μου*. Hoc est. istud corpus meum.

XLIX.

Panem aut ad vescendum propositum acceptum à Iesu & benedictum fractum esse, ne consecratione euanuisse sed mansisse elementum intelligeretur, quod dabatur discipulis accipiendum & comedendum.

B

De

De hoc autem vero naturali pane, sed benedicto & ad manducandum porrecto dixit Christus: *τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου*: ne aliud quàm verum essentialiale ipsius corpus intelligeretur.

Non enim tantùm suum corpus appellat, sed rectè Virtus collega Bezæ obseruauit, in articulo voci *σῶμα* addito vim & pondus contineri quod ita excutit: Clarè (inquit in libro de sacramentis) enunciat Christus, non solum: Hoc est corpus meum, sed articulo addito: *τὸ σῶμα μου*, quod perinde valet, ac si dicat: illud ipsum corpus meum.

Consensus quoq; est, præsentiam corporis Christi verbis istis exprimi, quoniam vnum non dicitur alterum, nisi coniunctione data, quæ præsentia quodam modo perpetuo constat.

Cùm igitur de pane dicatur: Hoc est corpus istud meum: præsentia veri corporis Christi cum pane sancitur.

Ad hoc quidem panis adest, & vino corpus & sanguis domini, vt comedenti & bibenti communicentur corpus & sanguis Christi percipienda, sed nisi in his locutionibus, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: Corpus & sanguis statuuntur adesse panis & vino, qui poterit præsentia eorundem aliàs in hac sumptione sponderi, cum corporis & sanguinis Christi mentio extra has de elementis prædicationes in institutione non extet?

Et violentum igitur est & vanum prorsus, quod aduersarij præsentiam corporis & sanguinis Christi, quam in cœna hac agnoscunt statuendam, explicatione symbolis negant, & tamen vsui sacræ Coenæ eam implicant.

LVI.

Posiacci anno 1561. 25 septembris Beza cum tribus alijs conscripsit hanc formulam fidei. Credimus in usu coenę Dominicę verè re ipsa substantialiter, siue in ipsa substantia verum corpus & sanguinè Christi spirituali & ineffabili modo esse, exhiberi, sumi à fidelibus communicantibus.

LVII.

Vnde verò habet demonstrationem eorum: quod verè substantialiter verum corpus Christi sit in coena, nisi ex his verbis Christi: Hoc est corpus meum? Ipse profectò, fatetur, Epist. 5. ad Alemannū, illa oratione Domini se ad istam professionem cogi.

LVIII.

Et tamen cum post aliquot annos Santesius hanc confessionem prima facie Augustanæ non valde aduersam esse scriberet, respondit Beza: illam vero formulam, ne nescias, absit vt unquam repudiem, loquor enim de usu, non de symbolis.

LIX.

Quæ vero *uolūta* vnquam manifestior fuit, & maior quā hæc ipsa? nempe ex hac oratione Christi. Panis hic est corpus meum: Cogi ad præsentiam substantialè corporis Christi agnoscendam, & tamen præsentiam negare panis?

LX.

Porro quærenti, qualem præsentiam intelligamus respōdemus, realem & veram præsentiam veri corporis Christi cum pane necessariò esse concedendam.

LXI.

Veri enim corporis Christi præsentia, qua illud ipsum re ipsa & substantialiter verum corpus adsit, non nisi vera & realis erit præsentia.

LXII.

Estq; impossibile, vt realitas præsentia rei quæ adsit negetur, & tamen res præsens realiter & substantialiter, eaq;

planè ipsa esse affirmetur & quidem eatenus quatenus præ-
sens est. LXIII.

Tenemus enim & vrgemus, quod præsentia corporis
Christi in coena non possit probari, missis his verbis: Hoc est
corpus meum. LXIII.

Observandum etiam est, quod omnes sacramentarij re-
alem realis corporis Christi cum pane præsentiam negan-
tes tropum quærant in ipsis verbis. LXV.

Iam cum Beza tropum illum ex prædicato detrufum in
copulam seu per hanc in attributionem intrudat, conse-
quens est, quod præsentia indicationem in copula agno-
scat, in quo posteriore etiam ipsi assentimur. LXVI.

Etsi autem realem præsentiam credimus & tuemur, mo-
dum tamen præsentia nobis ignotū esse palam profite-
mur. LXVII.

Cumq; aduersarij vtrumq; impugnent suis tropis. (Tro-
pus enim & veræ atq; realis præsentia significatū auertit &
sui explicatione modum pollicetur humanæ intelligentia
perspicuum, vt Beza loquitur) nos vtrumq; refutamus ijs-
dem demonstrationibus, quibus tropos Calvinianorum
quosuis destruximus. LXVIII.

Postquam enim prædicatum à tropo exemptum est, &
quidem declaratione Christi, vt Beza testatus est grauitè &
benè: Copulam eodem iure donatam fateri, aut *συγκατῆρυ-
ξεν* negare (quod impossibile est, & inter eruditos inau-
ditū) oportet. LXIX.

Qui hac in re Bezam laborare, sudare, fatigari, omnèq;
eius eruditionem consumi & perdi non videt, aut iudex hu-
ius certaminis ineptus, aut conscientia suæ hostis est, nisi,
quod

quod Beza non potuit, ipse nos refutando præstet.

LXX.

Vt autem copula τὸ ἐν τὸν retinens, tropumq; respiciens verum esse largitur: ita præsentia quæ non tropicè (est pro adest posita) sed consequenter, itaq; sine illatione tropi elicitur: quamq; Beza ad copulam conformare constituit, τὸ ἐν τὸν & absq; tropo accipienda, ideoq; vera & realis erit.

LXXI.

Vt tamen modum istius prædicationis explicare non possumus, ideoq; præter modos peripateticorum philosophorum, cum veteribus & recentioribus scholasticis & doctissimis viris singularem quandam & inusitatam prædicationem recipimus & accommodamus, vt ex superiori disputatione liquet, ita realem præsentiam realis corporis Christi cum pane sine modo naturali confitemur, & hyperphysicū Christo integrū relinquimus, nec dubitamus quin salua veritate corporis sui id præstare queat.

LXXII.

Sic igitur ex Matthæi breui textu, omnes apices huius propositionis demonstramus: cum pane benedicto sacrae coenæ verè & realiter præsens esse verum & essenziale Corpus Christi.

LXXIII.

Dumq; modum mysticum & imperscrutabilem tenemus, omnes ratiocinationes in absurda ducentes bonitate, necessitate & veritate consequentiæ philosophica destitui necesse est.

LXXIIII.

Sciscitanti idem ex Marco sic respondetur capite: 14. vescentibus illis I E S V S sumēs panem cum benedixisset, fregit & dedit illis ac dixit: Accipite, comedite, τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου. Hoc est istud corpus meum.

LXXV.

Hic cum in ijs, quæ hætenus expendimus, diuersitas

B 3

nulla

nulla appareat, eadem ex Marco parata nobis erit demonstratio, quæ ex Matthæo prompta fuit, accedit tamen demonstrationi ex pluribus sanctis testibus maior autoritas.

LXXVI.

Hoc etiam prioribus addendum est, quod Marcus hic inquit: *εὐλογήσας*, quo verbo Matth. cap: 14. Marcus cap: 6. Lucas ca. 9. vtuntur de oratione Christi, qua mirandam passionē quinq; millium aggreditur, vt sic virtute dicentis Christi hoc loco aliquid supernaturale institui moneamur.

LXXVII.

Ipse quoq; Beza POTESTATIS DIVINAE declarationē hinc promit, cum in 2. parte Resp: suæ ad me pag: 4. sic scribit. Ego non possum non Græcis assentiri, ita vt benedictionis nomine cum DEI collaudatione coniunctæ intelligatur *diuinæ potestatis & voluntatis* declaratio, qua CHRISTVS hunc acceptum panem ab vsu terreno ad cœlestem illum vsu, id est, ad significandum & verè communicandum nobis suum corpus transtulit, quod postea disertis verbis testatus est, à se factum non dicens: Hoc, id est, hic panis esto corpus meum, sed, Hoc, id est, hic panis est corpus meum. Nam ad hoc vt vera esset hæc enuntiatio de pane: *Hoc est corpus meum*, necesse fuit hunc panem prius (saltē ordine) factum fuisse Christi corpus, imo etiam tempore, cum huius actionis partes suis interuallis non caruerint.

LXXVIII.

Hic lector attendat & obseruet, quæri, cuius potestate panis sacræ Coenæ fiat Corpus Christi, vt vera sit enuntiatio hæc de pane, *Hoc est Corpus meum*.

LXXIX.

Beza autē istam potestatem diuinam appellat, & licet significationis vsu inspergat, & veræ cōmunicationis nobiscū mentione

mentionem ab usu externæ actionis, ad usum internum seu fructum deflectat, manet tamen quod prius esse oportet, & de quo hic singulariter quæsitum est, potestate nimirum diuina panem fieri corpus Christi.

LXX.

Nec quisquam sanè probabit, de eadem vnione accipiendum, cum panis dicitur factus corpus Christi, & cum homo cum corpore Christi vnitur, vt sit caro de carne eius.

LXXI.

Ne quis etiã potestatem illam similem æstimet potestati hominum symbolis pactorum rem absentem repræsentantium, addit Beza, se potestatem diuinam agnoscendo attendisse ad primam institutionem, à cuius efficacitate pendeat, quod nunc in Ecclesia peragatur. Non enim (vt ait) minister panem in Sacramentum mutat, cum Sacramenta ex rebus communibus facere sit Dei vnus opus.

LXXII.

Ergò Beza potestatem diuinam intelligit qua Dei vnus opus peragatur, ideoq; facultati creaturarum minimè possibile.

LXXIII.

Quid igitur aliud dicit iste, quam vnionem corporis Christi cum pane, vt hic verè dicatur esse corpus Christi, requirere virtutem Deo propriam.

LXXIII.

Ac si vnus Dei opere fit, vt panis sit corpus Christi, quod naturaliter non erat, necesse est panem esse corpus Christi modo hyperphysico.

LXXV.

Ita autem Beza ait fieri Sacramentum, vt reuera Sacramentum sit mysterium, hoc est, modi miraculosi arcanum.

Itaq;

LXXXVI.

Itaq; prophanum arguetur & valde vanum, quod Beza eodem libro pag: 184. scripsit, modum quo res significatae cum suis signis sacramentaliter cohærent, facilem, planum, & naturali etiam intelligentiæ nostræ perspicuum esse, nempe significatiuum.

LXXXVII.

Quoniam vero ductu Euangelistæ Marci in hanc disputationem deuenimus, expediamus eam, ne lector in parte eius hæreat.

LXXXVIII.

Non igitur dissimulo Bezam istud vnus Dei opus ita contorquendo definire, quo scilicet signa sacramentalia per modum significativum fiant id, cui diuinitus menti & cogitationi nostræ repræsentando sint ordinata, dicta pagina 184.

LXXXIX.

Magnifica sanè verba, sed quæ vnus DEI opus admirandum haud relinquunt, cum menti & cogitationi nostræ repræsentare sit facili plano & naturali etiam intelligentiæ perspicuo modo aliquid præsens reddere, etsi ordinatio Dei accedat.

XC.

Quid quæsumus, different illa signa ab ijs, quæ Deut: 6. Iehouah Israëlitas iubet facere brachialia & frontalia, vt in memoriam reuocent legem Dei, iugi intuitu.

XCI.

Hic Beza ad vsu, rem scilicet posteriorem ea, de qua quæritur, euagabitur, sed de opere isto nunc agimus, quod panis fiat corpus Christi, quod cum Beza diuina ordinatione significationis definiat, plus non largitur, atq; in signis præceptorum Dei, quæ circumtulerunt Iudæi.

Veram

XCII.

317.

Veram esse comparationem nostram comprobamus testimonio Petri Martyris sic commentantis in 1. Corinth. II. ad hæc verba: Hoc est corpus meum: Vt sensus verborum Dei per vim significationis sacris literis coniungitur, & animis nostris re ipsa cohæret, ita corpus & sanguis Domini significantur à symbolis, sed animis nostris spiritualiter iunguntur. Hanc sententiam Beza in 2. suorum libellorum volumine suam fecit.

XCIII.

Sicut ergo nequaquam opus vnius Dei & hyperphysicū est, vt scriptis literis sensus autoris coniungatur per vim significationis: ita admirando Dei opere panis iste non fiet corpus Christi, si corpus Christi duntaxat significetur à symbolis.

XCIIII.

Licet etiam spiritualis vnio signati cum animis nostris superuenire dicitur, in coniunctione tamen eiusdem cum symbolo nuda significatio proponitur, nec illa diuersi modi accessio alterius huius nuditatem sine confusione palliabit, vt scilicet admirando Dei opere panis fiat corpus Christi.

XC V.

Imò nec illa de vsu Spirituali accessio Sacramentum hoc Specifica donat differentia.

XC VI.

Id quod Dominus Lutherus instantia communis conuiuij fidelium commodè probauit.

XC VII.

Fallit enim & fallitur Beza, dum in conspicio ad huius argumenti explicationem respondere detrectat ideo, quia absurdiora contineat, quam vt à me excogitata fuisse ausit suspicari, & existimationi meæ consulere cupiat scilicet.

C

Equidem

Equidem contemptu argumenti & irrisione mei veritati satisfieri non putans, repeto dicta, & de istis cuius examinatus, Deo volente, respondere paratus sum.

XCIX.

Plura autem redigemus ad pauca, & demonstrabimus hæc. i. quod eadem sit significatio symbolica in communi cæna fidelium, quæ à Calvinianis statuitur in cæna Domini. ii. Quod vtraq; habeat institutionem & ordinationem Dei. iii. Quod idem fructus spiritualis ex vtraque reportari queat.

C.

Fidelis enim corporali cibo & potu monetur de refecti-
one cœlesti, quæ corpore & sanguine Christi præstatur credenti.

CI.

Cibus igitur terrenus meditatione ista fideli carnis Christi & potus corporalis sanguinis Christi symbolum & signum existit.

CII.

Neq; vero id humanæ mentis fictione sed Dei institutione fit.

CIII.

Deu. 8. Iehouah affixit te, ac esurire te fecit, postea pavit te Man, quod non noueras, neq; nouerunt patres tui, vt scire faceret te, quod non in pane solo viuat homo, sed omni eo, quod egreditur ex ore Iehouæ, viuet homo. Item Eduxit tibi aquam è petra silicis, & pavit te Man, vt memineris Iehouah DEI tui, quia ipse dat tibi potentiam ad parandas opes, vt confirmet pactum suum, quod iurauit patribus tuis.

CIIII.

Quis adeo prophanus est, vt hoc de Man & aqua ex petra elicita dictum, neget de quotidiano pane & potu.

CV.

Quia enim quotidiana vilescunt, miraculosis eorundem largi-

largitionibus Deus nos excitat, vt idem de quotidiana sustentatione statuamus.

CVI.

Sic Christus Ioan. 4. aquam fontanam docet esse symbolum aquæ vitæ. Et Ioan 6. à pastu 5000. miraculoso deducit mentes humanas ad manducationem carnis, & bibitionem sanguinis sui spiritualem considerandam.

CVII.

Quisquis etiam in communi conuiuio istam signatorum memoriam recolit, verè in Christum credens vnitur & incorporatur Christo. Qui enim credit in Christum, venit ad ipsum, & qui venit ad ipsum, non eijcietur foras, Ioh. 6.

CVIII.

Promissa etiam est credenti tam arcta & certa ipsius coniunctio cum Christo, vt cibus & potus terrenus arctius & certius cum corpore non colescant. Qui edit carnem meam, inquit Iesus, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo, Iohan. 6.

CIX.

Sicut etiam cibo & potu refecti caducam hanc vitam viuimus, ita in manducatione & hibitione spiritali vita æterna suppeditatur, teste rursus Christo, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in nouissimo die, Iohan. 6.

CX.

Nunc ergo exquire, quid sit discriminis inter Dominicam coenam, & communem illam, nihil profectò ostendes nisi recurras ad præbitionem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino.

CXI.

Quod si autem istam præbitionem cum symbolis sola coniunctione modi significatiui declaraueris, & eadem erit



in cœna illa communi, & locutiones Sacramentales tam de communi quàm de Dominica cœna veræ erunt.

CXII.

Quid enim prohibet, quo minus dicamus de pane communis mensæ, quia significet corpus Christi: quod panis ille sit corpus Christi, si oratio ista in sacra Cœna omnino tali tropo explicanda est, qui modum vnionis significatiuum præbeat?

CXIII.

Sic ergo Sacramentarij in angustum coguntur, vt sese nullo modo coram perito expedire queant, quin tropum suum insufficientem fateantur.

CXIII.

Hæc vis veritatis extorsit à Beza appellationem metonymiæ sacramentalis, vt nimirum confiteretur, plus esse in Sacramento, quàm in tropo per se æstimato.

CXV.

Sed expendatur definitio, quam Beza in 2. par. quæst. pag. 162. talem confecit. Metonymiam, inquit, sacramentalem intelligo, qua fit, vt signum dicatur id esse, cui externis sensibus, congruente analogia, & ex Dei voluntate significando sic adhibetur, vt simul intellectui & fidei res illa significata verè ac re ipsa spiritualiter accipienda & obfignanda præbeatur.

CXVI.

Hic ne quidem minimum ostendi potest, quod ad conuiuia communia fidelium, secundum voluntatem Dei supra declaratam acta, non plane conueniat.

CXVII.

Quod autem Beza in discrimine ostendendo, quod tamen inuenire nescit, multum laborat, eo causas nostras comprobat reiecti à nobis tropi Calviniani: & prodit, quòd ijs aduersarij multum vrgeantur & cedere cogantur. Sed tertium adæamus testem omni exceptione maiorem.

A cci-

CXVIII.

Accipiens (inquit de Christo Lucas in Euangelio, cap. 22 .) panem, cum gratias egisset, fregit ac dedit illis dicens: *τὸ ἐστὶ τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδομένον*, Hoc est corpus istud meum, quod pro vobis datur.

CXIX.

Additio Lucæ, quam præcedentes non habuere, est prædicati determinatio tam perspicua, ut Cinglium & Bezam coegerit prædicatū à tropo liberare, & verū atq; essentielle corpus in hac ipsa oratione intelligere.

CXX.

Nec immeritò hæc Christi declaratio, quam tamen Oecolampadius, Calvinus, & alij neglexerunt, firmissimè à nobis tenetur, cum præter pluralitatem testantium, tribus argumentis inculcetur. I. articulo cum appellatur in prædicato *τὸ σῶμα*. II. pronomine Meum. III. descriptione corporis Christi proprij.

CXXI.

Quanto autem hæc prædicati proprietas firmior fuerit, tanto stabilius erit *ἐν* copulæ.

CXXII.

Vtq; hæc vero esse veram cogit intelligere præsentiam; Ita Lucas firmamenta veræ præsentia veri corporis Christi cum pane plura suppeditavit, ut minus nunc sit dubij.

CXXIII.

Veritatem autem eam intelligimus, qua reale corpus verè præsens est, id quod realiter fieri necesse est, nisi verum corpus adesse negare liceat.

CXXIII.

Est enim figuratis etiam sua veritas, Christo teste, Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, Et sanguis meus verè est potus.

CXXV.

Hic prædicata sunt tropica, quamobrem verum esse in copula

622.
copula per tropum etiam explicandum est, id quod similiter fieri nequit, ubi extrema sunt absq; omni dubio propria, ut in datis sacramentalibus locutionibus.

CXXVI.

Explicandum tamen est, quod in metaphoricis prædicationibus simile videatur accidere, veluti: si quis dicat de statua Herculis: Hoc est Hercules, qui Diomedem Thraciæ regem, hospitem carnibus suos equos pascentem vicit, victumq; equis ipsius in pabulum dedit.

CXXVII.

Hoc adeò quosdam mouit, ut cum metonymiam Bezæ à nobis verè refutatam agnouerint, ideoq; repudiarint, in metaphora tamen ista delitescerent, sensum Calvinianum fouere pergant, deq; ea nobiscum priuatis scriptis conferant.

CXXVIII.

Equidem fateor, ut similitudine cognita mens deducitur ad cogitandam rem, cuius imago expressa est: ita ad orationem metaphoricam, istam mentis euagationem annotari posse

CXXIX.

Quæstio autem est, num ista adiectio tropum ex prædicato auferat.

CXXX.

Ut igitur aliud est oratio, id quod præsto est indicans, & aliud mentis ad vteriora non præsentia excursio: ita clausula metaphoricis prædicationibus pro mentis discursu in rem absentem delato subiecta, istud ad quod per ambages fertur cogitatio, ab enunciationum prompta indicatione & similitudinis præsentatione discretum arguet.

CXXXI.

Nec prædicato præsentis, quod ex longinquo adducitur, simpliciter præstabitur.

CXXXII.

Ne multis opus sit, Calvinum de metaphora audiamus:
Vocatur

823.

Vocatur (inquit in xi. cap. prioris ad Corinth.) Hercules
statua Herculis, sed quid illic est præter nudam inanemque
figuram?

CXXXIII.

A Eq; confidenter, & vt nos existimamus, rectè pronun-
ciat Beza in conspicillo pag. 26. Cum dico: Herodes est
Vulpes, Ioannes est Elias: nullo modo, id est, neq; per se,
neq; coniunctim siue in attributo, Vulpes vel Elias propria
significatione vsurpantur, & ideò figuratè dicitur: Vulpes
quidem pro eo, qui versuto est ingenio. Helias autem pro
eo, qui feruente & mirifico zelo sit præditus.

CXXXIII.

Hanc explicationem sacræ etiam literæ præbent. Cum
enim Christus Matth. ii. dixisset, Ioannem esse Heliam,
addit descriptionem: Qui scilicet venturus erat. Cum au-
tem Pharisæi prophetam illum intelligerent, qui viuis in
cælum raptus erat curru igneo, Baptista ipse inquit Ioha. i.
Non sum Elias. Vtq; similitudo acciperetur, Ioanni tribui-
tur spiritus & virtus Eliæ Luc. i.

CXXXV.

Quid igitur liquidius est, quàm spiritum sanctum te-
stari, in metaphorica locutione ista tropum residere in præ-
dicato, cum non idem sit Elias, qui antè fuerit & post ven-
turus fuerit, et si æstimator similitudinis mente ab vno tran-
seat ad alterum.

CXXXVI.

Cinglius, qui prædicatum à tropo intactum relinquere
studebat, quemadmodum etiam Christus iussit, metapho-
ram autem deserere nolebat, hoc nugamento se expedire
voluit, quod aliud sit, si dicas: Christus similis est viti, quasi
duplex sit metaphora, & iuxta vnam dici possit: Hoc est si-
gnum corporis mei: Secundum alteram: Hoc signum est
corporis mei.

In



In posteriori locutione responsio ad Theobaldum Billicanum ait prædicatum secari. Per priorem, in qua vox (similis) proximè imminet verbo, est, ut vim eius vehementem temperet (quemadmodum loquitur) putat tropum in copula contineri, quod commentum post Cinglium, nemo doctorum, quod sciamus, disertè approbavit, & tamen speciem præ se ferret, si metaphora quædam prædicati ῥῆτον toleraret.

Nos verò præter coronam eruditorum, spiritum sanctum habemus testem, qui apertè metaphoram in Prædicato explicat, ut modò dictum est, cum de altero usu omnes eruditi, antequam Calvinismus quorundam mentes peruertit, ipseque spiritus sanctus conticuerit.

Nec metaphoram siue hanc in copula duntaxat, siue in prædicato simul constituas, fert communis illa aduersariorum confessio, quæ in verbis Christi veri corporis & sanguinis ipsius exhibitionem agnoscit.

Nam metaphora nullum præbet exhibitionis istius indicium, nec veri corporis Christi præbitio verbis Christi suggeretur, si prædicatum proprietatem significationis non obtineat.

Ac si quis non usum, sed rem, quæ necessariò ab usu distinguitur, expenderit, deprehendet, quod metaphora in locutionibus sacramentalibus concessâ, non possit phrasim vi metaphoræ alia esse, ac si quis de imagine seu statua crucifixi & cruentati Christi dicat: Hoc est corpus Christi & sanguis Christi.

Quod si etiam addiderit mentis ab imagine ad rei signatæ essentiam cogitando digredientis explicationem, dicet
quidem

quidem de crucifixi sculptili, quod sit corpus & sanguis Christi, & quidē id ipsum sit siue significet, quod pro nobis traditum est, & eum ipsum sanguinem, qui pro nobis effusus est, imagine repræsentet: nec tamen sacramentali locutioni æquipollebit, iudicibus etiam Calvinianis circumspiciendis.

CXLIII.

Quapropter metaphoræ sacramentalis, hoc est, nouæ & inusitatæ appellatio, confessio est disputatoris, quod per metaphoram suam, prædicationem non possit excipere à genere inusitatarum, & vsitatis prædicationibus accensere.

CXLIII.

Cumq̄, hoc metonymiæ non permittat ille, quia ad rhetorum præcepta non congruat, quo iure isti metaphoræ, extra omnium præceptorum vsum confictæ, vniuersamq̄; de copula *συγκατηγορημένη*, & de homonymis commentationem Aristotelicam respicienti, (nolumus enim dicta repetere) idem pallium iniiciet?

CXLV.

Manet igitur sic quoq̄; immotum, quod ex prædicati proprietate demonstrauius, de quo porrò audiamus testem quartum.

CXLVI.

Paulus Apostolus (à quo, vt putatur, Lucas sua mutuatus est) non audita ab alijs Apostolis, sed à Christo ad se repetita proferens i. Corinth. ii. sic scribit. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Iesus, in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, comedite, *τὸ τῷ μὲ ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλωμένηον*. Hoc meum est istud corpus, quod pro vobis frangitur.

CXLVII.

Magni ponderis est, ad mirandam maiestatem huius sacramenti commendandam, quod Christus institutionem

Dignitas est sacramenti

suæ sacræ coenæ post ascensionem suam ipse repetijt coram Paulo, qui tempore prophanati sacramenti, illud ipsum, vt acceptum erat à Domino, à se traditum scripsit.

CXLVIII.

Non igitur ad vagas nostras cogitationes in certamine de hoc sacramento dilabamur, sed ad os Dei nos recipiamus, verba ipsius religiosè teneamus, modumq; diuinæ maiestati implicemus, quæ miraculosa repetitione hanc coenā mirandam fecit, suæq; afferuit peculiari potestati.

CXLIX.

Transpositio porrò vocum emphasin veri corporis atget. Ἰστὸ μὲ ἐστὶ τὸ σῶμα. Hoc meum est istud corpus.

CL.

In determinatione porrò prædicati, si fractionem pro passione corporis Christi accipias, res eòdem redit cum Luca, ijdemq; nerui nobis inde suppeditantur.

CLI.

Si pro distributione sumatur, aliud quidem intenditur, sed nihil derogatur τῷ ἐν τῷ prædicati, in quo Christus idipsum suum corpus appellauit.

CLII.

Abstinemus enim à laboriosa illa contentione, tropum in institutionis huius verbis vniuersaliter negante, & ad propositum scopum certamine coarctato collineare vtilius iudicamus.

CLIII.

Quæ etiam Paulus i Cor: 10 & 11. porrò tradit huc pertinentia, illa singulari disputatione, si Deus voluerit, excutienda proponemus.

CLIII.

Hic satis est, ea expendisse, quæ in institutionis recitatione hanc propositionem declarant: Panis iste est corpus Christi.

CLV.

Audiamus nunc eosdem testes de altera propositione: vinum S. coenæ est sanguis Christi.

Pocu-

CLVI.

Poculum pro vino accipi consensus est, & quia vsitatum est modiꝫ; noti, continens videlicet pro contento appellare, metonymiam hic statuere non prohibemus.

CLVII.

Sic verò Matthæus: Accipiens Iesus poculum & gratias agens, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, τὸ ποτὶ εἰς τὸ αἷμα μου, τὸ τῆς καινῆς Διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Hoc enim est ille sanguis meus, qui est novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

CLVIII.

Hic nihil perplexitatis est, sed cum Christus sanguinem illum suum appellet, Et rursus novi testamenti sanguinem, iterũꝫ; sic describat, quòd ille ipse pro multis effundatur in remissionem peccatorum: omnia hæc faciunt ad proprietatem prædicati ostendendam, inculcandam, defendendam.

CLIX.

Epistola ad Hebr. cap. 9. sanguinem novi testamenti intelligit sanguinem Christi, huncꝫ; versu 12. ἰδίον αἷμα proprium sanguinem Christi appellat, & vers. 2. negat esse αἷμα ἀλλότριον, sanguinem alienum.

CLX.

Hic ipse sanguis est effusus in remissionem peccatorũ. Deus enim acquisiuit Ecclesiam ἀπὸ τοῦ ἰδίου αἵματος per proprium sanguinem. Act. 20.

CLXI.

Veritas autem prædicati, veritatem copulæ tuetur, & hæc præsentiam talem, qualis ipsa est, præsentiam inquam, ἡρῶν ἁπλῶς sine tropo acceptam.

D 2

Cum



CLXII.

Cum vino itaq; sacrae coenae verus sanguis Christi verè
praesens est

CLXIII.

De poculo autem sic Marcus: Et accepto poculo cum
gratias egisset, dedit illis, & biberunt ex eo omnes, & dixit
illis: Hoc est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis
effunditur.

CLXIII.

Hic incidit figura orationis, quae dicitur ὕστερον πρότερον,
verum nihil detrahit sententiae ex Matthaeo probatae, sed
potius hoc confirmat: Ad bibitionem corporalem pertine-
re, quod vinum dicitur esse sanguis Christi: hoc est, ore cor-
poris in hac sacrosancta coena non solum vinum, sed etiam
sanguinem Christi percipi, de quo tamen peculiari disputa-
tione agemus.

CLXV.

Lucas sic habet: Similiter & poculum (accepit) post-
quam caenavit, dicens: Hoc poculum novum testamentum
in sanguine meo, qui pro vobis effunditur, ἐν τῷ αἵματι μου
ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

CLXVI.

Copula hic quidem deest, intelligenda tamen necessa-
riò, quemadmodum Paulus eam ponit.

CLXVII.

Cum dicit poculum esse novum testamentum in san-
guine suo, docet poculo tribui istam appellationem propter
suum sanguinem.

CLXVIII.

Sed quae poculi & sanguinis Christi communio? quia
scilicet in poculo vinum erat, quod dictum est esse sanguis
Christi, Ideo testamentum quod in hoc sanguine sancieba-
tur, poculo tribuebatur, propter vinum, quod erat sanguis
ille, & in poculo continebatur.

Poculū

CLXIX.

Poculū pro vino dici, vt continens pro contento vulgata metonymia modò facti sumus, quod non improbemus.

CLXX.

Quia tamen nec eodem nec alio vsitato modo sanguis Christi est in vino, aliudq; est, vnum pro altero dici & vnum esse alterum, non applicandus est idem tropus.

CLXXI.

Huius igitur diuersitatis interuentus tropiq; definitio in hac quoq; oratione: Poculū est testamentum: vsitati modi figuram, tropumq; metonymiam auertit & respuit.

CLXXII.

Non est planè similis locutio, cum Heb. 9 redditur oratio Moſis Exodi 24. *τὸ τοῦ αἵματος τῆς διαθήκης*; cum hic nequaquam duo disparata iungantur, vno de altero prædicato, sed demonstratiuum, nihil aliud quàm sanguinem vitulinū ostendat.

CLXXIII.

Hæc tamen comparatio constat: sicut Testamentum vetus essentiali sanguine realiter præſente ſanciebatur, ita nouum essentiali sanguine Christi realiter præſente ſanciri oportuit.

CLXXIIII.

Vt enim verus sanguis vituli, non tropicus, dicebatur sanguis fæderis antiqui, ita pprius sanguis Christi est noui Testamenti Heb: 9.

CLXXV.

Adhuc igitur & quidem pluribus confirmatum constat, prædicatum in hac propositione: vinum sacrae coenæ est sanguis Christi: *καὶ τὸ εἶναι* accipiendum esse.

CLXXVI.

Quandoquidem etiam copula, salua prædicati proprietate, tropum recipere non potest, etsi modum ignotū sustineat, præſentiam in ea agnoscimus realem & veram, modi tamen hyperphysici: Cùm sacramentarij tropum in copulā

immittentes, præsentia realitatem tollere laborent, itaq; ad modum acceptæ copulæ in præsentia æstimatione nos remittant. **CLXXVII.**

Beza, ut euoluta inuoluat, sic responsat: Crassissimus error fuerit, existimare foedus aeternæ vitæ in cœna Domini repositum esse: id est, diplomatis foederis *σφραγίδα* cum ipso diplomate confundere. **CLXXVIII.**

Equidem huic rectè responsum adhuc puto: Parce redemptori tuo, qui dixit: nouum testamentum esse in sanguine suo. **CLXXIX.**

Verùm aduersarius in conspicio regerit: Quasi verò verba redemptoris inficietur, qui *καὶ τὸ ῥητὸν* intelligenda esse neget. **CLXXX.**

Atqui manifestum est propriè vocari nouum testamentum, quod est in sanguine Christi. **CLXXXI.**

Fatetur etiam Beza, sanguinem Christi in cœna Domini accipi *καὶ τὸ ῥητὸν*. **CLXXXII.**

Vt ergò sanguis Christi propriè dictus in cœna agnoscitur: ita nouum testamentum, quod in isto sanguine est, extraq; illum non est propriè acceptum, in cœna Domini repositum esse statuitur: Nec parcat redemptori suo, qui hoc negauerit. **CLXXXIII.**

Instat rursus antagonista: Negauit sacrum illud poculum siue vinum posse propriè vocari testamentum siue foedus: quia duæ res sunt numero, & re ipsa atq; usu differentes, diploma, quo continetur præscriptum foedus, & ipsius foederis usus. **CLXXXIIII.**

Absit autè, ut dicamus propriè, id est, regulari prædicatione poculum sacrum seu vinum dici nouum testamentum. **CLXXXV.**

Absit etiam, ut negemus, poculum seu vinum esse res distinctas à nouo testamento. **Inte-**

CLXXXVI.

Interim verò non sequitur, vt nouum testamentum non sit in cœna Domini repositum, quemadmodum Beza discretè negauit.

CLXXXVII.

Aliud enim est, vnum non dici alterum propriè, & aliud, vnum cum altero non adesse.

CLXXXVIII.

Sic istud minus certè subtile discrimen nihil iuuat contra nos Bezam. Aliud diploma continens fœdus, aliud *σφερα*

CLXXXIX.

Quæritur enim, num diploma fœderis, hoc est, ipsa promissio, quam paciscitur Dominus, sit cum sigillo coniuncta, & responderetur, esse: cum sigillum ad tabulas pacti appensum, sit promissionis certificatio: ideoq; Christus inquit, vinum esse sanguinem suum, qui effunditur in remissionem peccatorum.

CXC.

Nec sensu & vsu differunt diploma & sigillum, quoad promissionem fœderis, ita vt alterum ab altero auelli oporteat.

CXCI.

Est enim diploma fœderis testificatio, sigillum autem eiusdem confirmatio.

CXCH.

Quod autè verbum doctrinæ, quo totum ipsum fœdus vitæ æternæ declaratur, discerni oporteat à verbo sacramentali, quo fœdus illud nobis peculiari ratione fruendum præbetur, istud non impugnaui.

CXCIII.

Alius enim vsus simpliciter promulgati diplomatis, alius cum sigillo eiusdem traditio siue applicatio.

CXCIII.

Nec tamen verbum fœderis per se aliud erit in verbo simplici, quàm in verbo sacramentali seu vestito,

Itaq;

71

Itaq; verum nouum testamentum, quod voce Euangelij declaratum est, certum est, esse repositum in coena Domini, id quod redemptor his professus est verbis: Hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo.

CXCVI.

Nec tamen foederis appellationem sacramentalibus signis propriè attribui dicimus.

CXCVII.

Quapropter constat τὸ ῥητόν, quod regularitate prædicandi negata, asserimus & assertū sacramentariorū tropis opponimus.

CXCVIII.

Quod deniq; Lucae solœcophanes tribuitur in his verbis: τὸ ὑπερ ὑμῶν ἐκχυνόμδρον, id non satis hoc modo probatur, quia de poculo & vino non possint intelligi illa verba.

CXCIX.

Etsi enim hoc de propriè dicto verum est, tamen vt Grammatica in hoc constat: τὸ πῆριον ἢ καινὴ ἀλεθίμη: ita τὸ πῆριον, τὸ ὑπερ ὑμῶν ἐκχυνόμδρον solœcophanes non habebit, etsi eadem ratione impropria pro nobis dicatur effundi quo poculum dicitur uouum testamentum.

CC.


In Paulo oratio de poculo conuenit cum Luca, nisi quod clausula de effusione ab eo omittatur. Pondera itaq; & argumenta τὸ ῥητόν, quod tuemur repetendo, suaq; qua pollet, autoritate stabilit.

CCI.

Proxima disputatione ab hac volente Deo, confessionē nostram, ex 10. capit. prioris ad Corinthios defendemus. Dominus Iesus nostra de suo testamento iudicia dirigat, & in veritatis amplexu nos perpetuò hæere faciat. Amen.

DEO SIT GLORIA.

1. Examen Competitij Theologiae D. Belarij Baldini.
2. De Sacra Scriptura eius auctoritate. D. Schilkeri.
3. Disputatio ita p̄ conciliū Trident. De auctoritate, origine, caā, certitudine, plenitudine, sufficiētia & efficacia sacrae scripturae V. v. N. T. D. Jacobi Fonae.
4. De Conciliis. D. Höpfneri. (p̄ Bellarminum.)
5. De vera Christi deitate p̄ Photinians. D. Baldini.
6. De Unionē duarum naturarum in Christo hypostatica. D. Affelmanni.
7. De Communicatiōe in Christo naturarum & idiomatum hypostatica. eisdem.
8. De Sepultura & Resurrectione Christi. D. Försteri.
9. Resolutio verborum Christi in cruce Affelmanni.
10. De Resurrectione Christi. Meisneri.
11. De Messia. Jacobi Martini.
12. De Peccato in Spiritum Sanctum. Affelmanni.
13. De Libero Arbitrio. Burchardi Harbart.
14. De Predestinatione. Melchior Ecaardi.
15. De Fidei & Bonis Operibus. Davidis Voiti.
16. De meritis bonorum operum. Baldini.
17. De Ministerio verbi. Burchardi Harbart.
18. De Ministerio verbi officio. Tarnovij Disputatio gemina.
19. De Imaginibus p̄ Mosam. Baldini.
20. De Baptismo. Affelmanni.
21. De Cena Domini. Hofmanni Disputatio gemina.
22. De Sacra Cena p̄ Calvinianos. D. Andreas Osiaudi.
23. De Traditione Panis Eucharistici. Pelargus.
24. Cena Domini Signum Grae.
25. De Magistratu Politico. Tarnovij. (inim possunt. Tarnovij)
26. An Fortia cum diversa Religionis libe & principio Luther. cum Calvinicis salva conscientia
27. De Haereticis fœdus non auferendis Tarnovij.
28. De Circulo operum & iudiciorum D. Stephani Parnovij.
29. Sidola Babylonica. Meisneri.



Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333




82-

Reha

V. 17







XXII.

801.

DISPUTATIO II.
DE CŒNADO-
MINI,

IN QVA
τὸ ῥητὸν verborum Christi in præcedente asser-
tum collatione quatuor testium confirmatur, nempe Mat-
thæi, Marci, Lucæ & Pauli, Euangelistarum
& Apostolorum.

*Habebitur autem volente Christo in Academia
Julia 16. Nouemb.*

Præside
DANIELE HOFMANNO THEOLOGIAE DO-
ctore & Professore, Respondente autem M. HENRICO
PAPAEBERGERO Græcæ linguæ
Professore.



HELMSTADII,
Excudebat Iacobus Lucius. Anno 1587.

